

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gallia multis modis Lutheranizans sive de contemptu concilii Tridentini in Gallia**

**Masius, Hector Gottfried  
Lintrup, Søren**

**[Hafn.], [1710]**

§XIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-67575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67575)

§. XVIII.

Unde patet, ante illud tempus auctoritatem Concilii Tridentini publicam in Gallia nullam fuisse. (a) Neque tamen, quia Clerus illud receperat, ideo publice promulgatum poterat censeri: quin potius particulare illud factum erat Cleri, nec Regem obligans nec Gallia regnum. Unde etiam *A. 1625.* denuo Clerus petiit, ut quemadmodum a suo ordine agnitum receptumque erat, Regia quoque auctoritate introduceretur; (b) sed frustra.

(a) Equidem jam tum *Ann. 1564.* in provinciali Concilio Rhemensi per Carolum Cardinalem Lotharingia convocato constat approbata fuisse omnia, que de fide superioribus acumenicis Conciliis & novissime in in sancta generali Synodo Tridentina sunt definita, ut verba *IV. Congregat: sonant*, sed hæc non erat publica Regis ac Gallicana Ecclesia receptio, nedum sollemnis promulgatio.

(b) Reperitur historia in *Actis Cleri Gallicani Tom. 1. part. 1. pag. 481.*

§. XIX.

Ex quibus omnibus infero, hætenus Concilium Tridentinum a tota Ecclesia Gallicana non esse receptum, nedum publica Regis vel Parlamenti auctoritate promulgatum. Nul- lum enim ea de re vel edictum Regis, vel Parlamenti constitutionem, vel declarationem publicam, vel actus solennis memoriam reperio, sive vastissima acta Cleri Gallicani, seu Parlamenti edicta, sive denique Historiam rerum Gallicarum executiam. (a) Unde patet, si quis vel maxime in Gallia dogmatibus contradiceret, hæreseos accusari non posse. Multoque magis mirandum est, Gallos sui immemores ideo pro hæreticis habere Protestantes, quod eorum doctrina in Concilio Tridentino anathemate percussa fuerit, cum ipsi anathema ejus spernant, multa decreta rideant, universalitatem ejus infringant, auctoritatem labefactent, & pro norma fidei publice nondum agnoverint.

(a) P.



(a) P. de Marca de concordia Sacerdot. & Imper. prolegom. p. 20. ait quidem : Concilium Tridentinum constitutionibus regii receptum esse in iis, quæ ad fidem pertinent, & in plerisque etiam disciplinæ capitibus; in ceteris vero articulis recipi posse, imo vero & publicari, quandocumque Regibus constabit nullam esse suspensionem motuum ex eo in regno excitandorum. Ita quidem ille. Sed ubi constitutiones illa quas memorat? producat tabulas placiti regii aut Lutetiani Senatus consultum. Ut credamus. Ceteroquin, si per constitutiones regias intelligit conniventiam Regis seu tacitam tolerantiam, non refragabor. Interea tamen & hoc falsum est, quod in plerisque disciplina capitibus receptum fuerit; si quis enim conferat praxim cum istis capitibus, in multo maxima parte adhuc repugnantiam offendet. Itaque rectius paulo post idem de Marca ait : hoc assertum esse adversus Magistratum regionum opinionem, qui ad libertates regni pertinere putant, ut Concilium Tridentinum nullo casu vel tempore in regno publicetur.

§. XX.

Supra recensui, obstitisse olim Clerum Gallicanum, quo minus libri precum Ecclesiasticarum in Concilio Tridentino recogniti in Gallia introducerentur; Forte incidi in Decretum ea de re factum, quod curioso Lectori hic exhibeo. Habetur illud in libro Gallico : *Preuves des libertés de l'Eglise Gallicane* p. 839. mereturque omnino huc transcribi :

Rationes sacrae Theologiae Parisiensis contra quorundam propositiones, qui breviarium secundum correctionem Concilii Tridentini introducere cupiebant, antiquo usu Breviarii Ecclesiae Parisiensis penitus abrogato :

DEUS opt. max. semper gavisus et usus est varietate, ut patet in ipsa creatione, in qua diversitate delectatus est. Hic enim ejus potens & sapiens providentia patet ex concentu & harmonia rerum diversarum atque contrariarum.

Hoc pugnat cum ratione & cum fide per caritatem operante : nam ratio inferior debet consentire cum ratione aeterna, quæ diversitatem in conditione